

De Galerita CAP. LIX.

GALERITA auicula est parua, apicem in vertice paonis modo gestans. Hæc asfa & in cibo sumpta, colicos adiuuat.

De Hirundine. CAP. LX.

HIRUNDINIS pullos qui primo partu exclusi fuerint si crescente Luna disseccueris, in eorum ventre lapillos inuenies: è quibus duos, vnum quidē colore varium, alterum verò purum & vnicolorem accipies. His priusquam terram attigerint iuuençæ corio aut ceruina pelle inclusis, & brachio aut collo adalligatis comitiales recreabis: plerunque etiam penitus sanitati restitues. Ipsæ verò hirundines in cibo sumptæ, velut & ficedulæ, aciem oculorum exactuant. Tam pullorum quām matrum in olla fictili combustarum cini's cum melle oblitus, oculis claritatem affert: confert & perunctus angina laborantibus: itēmque profest ad vuæ actonsillarum inflammations. Cæterū & ipsæ & pulli si exiccentur & drachmæ vnius pondere ex aqua bibantur, his succurrunt qui angina conflantur.

De Ebore. CAP. LXI.

ELEPHANTINI dentis ramentum, vnguium reduuias curat impositum. Vim porro astringendi obtinet.

L. j.

De Talo suillo. CAP. LXII.

SVIS talus combustus dum è nigro albescat, tūmque tritus ac potus, inflatiōnibus coli ac diuturnis tormentinibus medetur.

De Cornuceruino. CAP. LXIII.

CORNV cerui vstum ac lotum si binam cochlearium mensura bibatur, confert sanguinem excreantibus, dysentericis, cœliacis, regio morbo & vesicę doloribus cum tragacantha: foeminis item fluxione vulvæ laborantibus, cum liquore ei affectui accommodato. Porrò tusum & crudo fistili duto circumlito inditum, vritur in fornace donec albescat: ac deinde cadmix modo eluitur. Tale verò oculorum ulceribus atque fluxionibus salutare est: affrictum quoque, dentes expurgat. Cæterum crudum si accendatur, odore serpentes fugat. In aceto verò feruefactum si ore colluatur, interiorum dentium dolores mitigat.

De Erucē. CAP. LXIV.

ERUCAE quæ in oleribus gignuntur, à venenatarum bestiarum mortibus eos feruntur tutos præstare, qui ipsi ex oleo peruncti furint.

De Cantharidibus. CAP. LXV.

CANTHARIDES quæ in frumentis leguntur, ad recondendum idoneæ sunt, Eas in vas non picatum immittito, ac ipsius osculum raro puroque linteo obligatum circumuerito ad vaporem feruentis acetii quam acerrimi: tandemque inuersum fictile contineto, donec illæ suffocentur: tandem lino transfixas reponito. Porro efficacissime sunt quæ variæ visuntur, luteasque habent in pennis transversas lineas, quæque oblongo sunt corpore, crassæ, & blattrarum modo præpingues. Sed inefficaces & imbecilæ, quæ unius sunt coloris.

De Bupresti. CAP. LXVI.

Simili modo reponuntur & buprestes, quæ sunt è cantharidum genere, itemque pinorum erucæ. Sed & hæ supra cribrum suspensum feruenti cinere paulisper intostæ, reconduntur. Vis ipsarum communis sepica, exulceratoria, & excalfactoria: qua de causa medicamentis admiscentur, quibus carcinomata, lepræ & impetigines feræ curantur. Menses quoque crient, pessis emollientibus additæ. Porro nonnulli cantharidas antidotis admisstas etiam hydropticis auxiliari prodiderunt, quippe quæ vrinas moueant. Alij ipsarum alas ac pedes iis qui illas hauserint pro antidoto esse tradiderunt.

L. ij.

De Salamandra. CAP. LXVII.

SALAMANDRA, lacertæ genus est, iners, varium, quodque frustra creditum est ignibus non vri. Vim habet septicam, exulcerantem, ac denique calfactoriam. Additur in medicamenta septica & lepras abolentia, quemadmodum & cantharis: ac simili quoque modo reponitur. Vsta vero, pilos cuim oleo abolet. Cæterum exenterata, detractis pedibus & capite, in melle seruatur ad eundem usum.

De Araneo. CAP. LXVIII.

ARANEVS, quem holcum aut lycon, id est, raptorem aut lupum alij nominant, cum emplastro subactus & linteolo inductus, ac fronti aut temporibus impositus, tertianos circuitus perlanat. Tela eius apposita, sanguinem sistit, & vlcera quæ summagutem occuparunt ab inflammationis iniuria vindicat. Est & alterum aranei genus, quo candidam, tenuem, densamque telam orditur. Hoc aluta inuolutum, & de lacerto suspensum, quartanis circuitibus mederi narratur. Decoctum autem ex rosaceo & infusum, aurum doloribus auxiliatur.

De Lacerta. CAP. LXIX.

LACERTAE caput tritum & impositum, aculos & omnia corpori infixa extra-

b.t.

hit. Sed & formicantes verrucas & pensiles,
quas acrochordonas vocant, clauosque tol-
lit. Iecur ipsius dentium cauernis inditum,
dolores eximit. Tota verò dissecta & impo-
sita, ieiros à scorpione leuat.

De Sepe. CAP. LXX.

SEps, quam nonnulli lacertam Chalcidi-
cam vocant, ex vino pota, quos momor-
derit iis medetur.

De Scinco. CAP. LXXI.

SCINCVS quidam in Ægypto, alias in
India, alias ad mare Rubrum gignitur.
Est & alias, qui apud Libyam Mauritanie
fluum reperitur. Est verò crocodilus ter-
restris sui generis, qui addito nasturtio sale
conditur. Aiunt porro partem eam quæ re-
nes amplectitur, drachmæ pondere in vino
potam, Venerem accēdendi vim habere: at-
tamen lentis decocto cum melle, aut se mi-
ne lactucæ cum aqua poto intensam illam
Veneris cupiditatem inhiberi. In antidota
quoque additur.

De Terrenis Germibus. CAP. LXXII.

TERRENI vermes triti & impositi, præ-
cisos neruos glutinant, ac tertianas
quoque soluunt. Decocti verò cum anseri-
no adipe & instillati, affectis auribus me-
dentur. In oleo autem decocti si oppositæ
auriculae infundantur, dentium doloribus

L. iiij.